Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 467
Quelle:
Copyright:

rum deauratis, picturatis, et *Mathiae Corvini Hung.* Regis insignibus decorus, demum ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* e famosa Bibliotheca *Budensi* quomodocumque delatus, ab eoque Collegio suo ad *D. Nicolaum* legatus, ut nota frontis et calcis testatur, ita inscribitur: *Beati Basilii Archiepiscopi Cesareę Cappadociensis De Diuinitate Filii & Spiritus Sancti: Adversus Eunomium Incipit:* Praeit vero cum *Praefatio* dicatoria *Bessarionis* Card. ad *Eugenium* IV. Pont. tum *Epistola* interpretis *Georgii Trapezuntini* ad *Bessarionem*, qui ei *Basilii* interpretandi autor fuerat; cum enim haec sub Concilii *Florentini* agerentur tempora, nondum amicitiam renunciaverat *Georgio* Cardinalis, quod demum sub *Nicolao* V. et *Paulo* II. accidit stringente calamum *Bessarione* in *Trapezuntinum* non traductorem, sed, ut ipse adpellat, *calumniatorem Platonis.* Ne duplex hoc Πεοολεγομενον hic adscriberem, quamvis in recentioribus *Basilii* Editionibus non cum ratione omissum, vetustiores faciunt, puta *Ascensiana Paris.* 1520. f. *Cervicorniana Colon.* 1523. f. &c. in quibus prostat. Versionem nostram a Viris doctis successu temporis elimatam repraesentat Editio *Maur. Paris.* 1721. T. I. p. 207. f. Ejus initium in Codice: *Si omnes super quos Dei ac Salvatoris nostri iheſu christi nomen invocatum est* &c. Et finis: *Qui vero domino adheret unus spiritus est.*

II. *fol.* 99. p. 2. *Eiusdem B. Basilii Contra Eunomium Ad Amphilochium Episcopum Iconii De Spiritu Sancto.* Praestantissimum istud magni Praesulis Opus ab *Erasmo* primum versum dicere videtur *Fabricius Bibl. graec.* L. V. c. 19. p. 79. Verum vide *Cod.* praeced. et audi *Bessarionem* in suprac. Praef. *Accipias igitur — opera; haec quidem contra impium eunomium illum, haec uero ad beatum amphilochium de eadem materia edita.* Et *Trapezuntinum* in ep. *Accepi litteras tuas, — quibus a me petis, ut magno illi basilio diuinitus contra eunomium conscripta uolumina ac simul quę ad beatum amphilochium edidit: in latinam linguam ex greca transferam.* Incipiunt haec: *Laudaui diligentiam tuam in discendo atque industriam* &c. Et finiunt: *iuxta cognitionem quae dignis a spiritu prebetur.* In Edit. *Maur.* exhibentur T. III. p. 1. et quidem, ut additur, ex Interpretatione *Erasmi.* Codicem nostrum ἀπογραφον *Laurentiani* cujusdam *Florentini* esse vix dubitem.

CCLXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 77. f. min. nitide perscriptus, rubricis illustratus, et olim, ut *pag. ult.* erasum, *Monasterii S. Dorothee Wienne*, dein, ut Thecae anteriori intus adnotatum, *Joann. Alexandri Brassicani Ann.* 1528. et demum *Joh. Fabri* Antistitis nostri, ita minio insignitur: *Incipit prefatio Eusebij Jeronimi in librum Didimi Allexandrini* U. 170